



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 62. Octo Articuli Renato propositi, atque eos subscribere jussus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Sæcul. XVI.
A. C. 1599.

ob causam jam dudum a Facultate exclusus erat, hinc eadem illum emolumentis privare, atque ad gradus ei in Facultate destinatos admittere recusabat: attamen cum ab Henrico IV., cui semper favebat, anno millesimo quingentesimo nonagesimo tertio Medunta evocatus eundem Regem in fidei Catholicæ præceptis imbuisset, necnon ipsius ejurationi in templo sancti Dionysii præsens ad cives Parisienses in Regis obsequium reducendos præclaram navasset operam, atque ab eodem Rege Henrico Trecensis in Campania Episcopus nominatus esset, hinc perpensis hinc rationibus Facultas Renatum, quamvis hic summo Pontifice literas Apostolicas ad hunc Episcopatum denegante nunquam sua sede potiri valuerit, ad sacræ tamen Facultatis Decanatum admittere censuit, potissimum ex ea ratione, quod ipsius Biblia jamjam a Doctoribus Lovaniensibus ab erroribus expurgata, necnon a pluribus Theologiæ Doctoribus Parisiis approbata fuissent.

§. LXII.

Octo Articuli Renato propositi, atque eosdem subscribere jussus.

Priusquam Renatus Decani munus adiret, Facultas apud Sorbonam congregata hoc anno die secunda Aprilis

ab

Sæcul. XVI. ab eo petiit, ut publice se, suaque opera
A.C. 1599. sacræ Facultatis iudicio submitteret,
 quod etiam ipse mox præstitit, ac non
 nulla de pace, concordia & charitate
 præfatus alta voce sequentem submis-
 sionis formulam a se subscriptam recita-
 bat: *Facultatem Theologiæ Parisiensem*
Matrem agnosco. Ego me, meaque opera
illius iudicio, & censuræ submitto. sed in
primis Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, &
Romanæ, a cuius fide, & decretis me neque
scripto, neque verbo, neque ullo alio quo-
vis pacto velle dissentire profiteor; unde
si quid a me hætenus scriptum, aut de-
cretum est, quod contra Ecclesiæ fidem, de-
creta, & leges pugnare videatur, illud meum
& pro omni tempore retracto: quare &
Biblia, quæ meo nomine vulgata a Sede
Apostolica, & hac ipsa Facultate damna-
ta sunt, ego pariter damno, & ea saltem
michi saltem ex parte tributa, & alienis
respuo, Postea Facultas Joanni Turne-
rocho Syndico negotium dabat, ut Re-
nato octo articulos ipsius erroribus oppo-
sitos prælegeret, quos ipse approbare,
suoque sigillo firmaret. Equidem Re-
natus hosce articulos verbotenus pro-
nuntiabat, minime tamen illos sibi pro-
bari apposito Chirographo testatum red-
debat, nec etiam sacer Ordo rem fortius
urgere voluit, eoquod ille saltem desi-
gnatus esset Episcopus, atque aliunde
 Regi

Sæcul. XVI.
A.C. 1599.

Regi a confessionibus, & concionibus. Verum hanc Renati submissionem tum minus sinceram, sed duntaxat aucupandi Decanatus cupiditate extortam fuisse, postmodum apparebat, prout ad annum Domini millesimum sexcentesium primum recensimus.

§. LXIII.

P. Ludovici Molinæ epistola ad Papam.

Cum jam anno priori die vigesima se-
cunda mensis Novembris Censores *Hist. contov. de Aux. l. 3. c. 5.*
ad recognoscendum primum examen se-
lecti suum absolvissent judicium, ac si-
gillatim una omnes (excepto Antonio
Bovio Romæ Carmelitani Collegii Re-
ctore) librum de concordia censuris per-
strinxissent, publico imminentis damna-
tionis rumore perterritus Molina præ-
ter literas anno Christi millesimo quin-
gentesimo nonagesimo octavo Conchæ
die vigesima Septembris datas, ineun-
te anno sequenti per Cardinalem sanctæ
Susannæ Clementi VIII. per suos Pro-
curatores ipsa die prima Januarii libel-
lum supplicem porrexit, quo earum pro-
positionum, quæ ex ejus libro decerptæ,
atque a Censoribus fuerunt notatæ, ex-
emplar sibi tradi eo fine efflagitabat, ut
sux opinionis veritatem defendere, im-
pactamque erroris calumniam a se amo-
liri